

König Wilhelms-Schule zu Reichenbach in Schlesien.

De falsa quadam ratione,
qua in aestimandis Horatii carminibus
vulgo utuntur interpretes,

scripsit

Feodorus Rhode,

Dr. phil.



1885. progr. nr. 200.

Druck der Breslauer Genossenschafts-Buchdruckerei, E. G., Ursullinerstr. 1.

gre
10 (1885)

1021,15⁶





De falsa quadam ratione, qua in aestimandis Horatii carminibus vulgo utuntur interpretes.

I.

Neque novum aliquid et adhuc inauditum proferre neque res sescenties repetitas denuo repetere, sed rem a nonnullis quidem viris doctis intellectam, a plerisque vero Horatii interpretibus vel recentissimis si non plane ignoratam aut neglectam, at certe non satis constanter respectam atque observatam, separatim tractare in animo est. Antiquiores enim Horatii interpretes in aestimandis eius carminibus errore quodam capti tenentur, qui quamquam jam a Buttmanno deinde ab aliis refutatus est, tamen nostris temporibus vel elegantissimi horum carminum iudices, inter quos etiam eos esse qui eum refutare conati erant jure mireris, identidem de integro in eum reciderunt. Quae res cum ad Horatii, summi Romanorum poetae, carmina recte intellegenda eiusque ingenii formam perspicendam haud levis momenti sit, operae pretium erit de hoc loco breviter disserere. Divulgata enim erat antea opinio in Horatii carminibus etiam eroticis omnes et res quas depingit re vera ita accidisse et personas re vera vixisse ipsique poetae notas fuisse, ita ut Horatium quaecumque in illis carminibus profert e sua ipsius vita sumpsisse omnibus fere persuasum esset qui iis interpretandis operam dederunt. Ita quod de Lucilio praedicat poeta, cum dicit sat. 2, 1, 32 sq. „quo fit, ut omnis votiva pateat veluti descripta tabella vita senis“, hoc in ipsum illi transferre videntur. Putant enim Horatium vitam suam fere cotidianam descripsisse; sive enim res amatorias attingit sive occasione data periculum aliquod quo defunctus est sive alium vitae casum, haec omnia non aliter accipiunt, ac si suas res illustraverit et historiarum scriptor, non poeta lyricus sit. Huic perversae Horatii interpretandi rationi cum jam Buttmanus obviam iisset in libello qui inscribitur „Ueber das Geschichtliche und die Anspielungen im Horaz“, quem praeter alios secutus est Godofredus Bernhardt in historia litterarum Romanarum³ p. 532, paulatim sanioris rationis memoria obliterata esse videtur. Itaque commentarii haud pauci vetere illo errore referti sunt totique ex eo pendent, quorum duos nominare satis sit, qui a Theodoro Obbario an. 1848 et ab Hermanno Schuetzio an. 1874 conscripti sunt; v. quae infra disputabuntur. Sed nuperrime duo notissimi Horatii interpretes plerumque recte de hac re judicaverunt; Aemilius Rosenberg in libro: „Die Lyrik des Horaz. Aesthetisch-kulturhistorische Studien. 1883.“ (cf. imprimis pag. 138 sqq.) et Lucianus Mueller compluribus locis libri qui inscribitur: „Quintus Horatius Flaccus. Eine litterarhistorische Biographie. 1880.“ Sed tantum abest, ut eorum disputationes suffecerint ad

illum errorem plane tollendum, ut usque ad hunc diem serpat per editiones et ne ipsi quidem illi viri docti eum prorsus superaverint; immo in ipsius L. Muelleri commentario, qui nostra lingua scriptus anno 1882 emissus est, bis terve deprehenditur; cuius rei infra exempla afferemus. Rectissime autem Lucianus Mueller monet veteres ipsos saepe poscere, ut persona poetae ab operibus eius discernatur; quod nisi fiat, quo quis sit ingeniosior poeta, eo plura absurda et inter se repugnantia occursura esse legentibus. (cf. pg. 8). Audiendus hic est Ovidius, qui *Trist.* 2, vs. 355 sqq. ita de se dicit:

Magnaue pars operum mendax et ficta meorum
plus sibi permisit compositore suo.
Nec liber indicium est animi, sed honesta voluptas,
plurima mulcendis auribus apta ferens.
Accius esset atrox, conviva Terentius esset,
essent pugnaces qui fera bella canunt.

Itaque perdunt operam, qui ex Horatii carminibus quasi historiam amorum eius investigare conantur (cf. Rosenb. p. 138), cum maximam partem merae fictiones sint. Ut Goethius usque ad hunc diem pessime tractatus est a viris doctis quidem, sed pusillae mentis, qui cum sibi viderentur mirum quantum conferre ad opera eius melius et accuratius intellegenda ingenii quae eius profunditatem penitus cognoscendam, tamquam speculatores res minutissimas praesertim quae ad varios eius amores pertinere videbantur conquirere studuerunt, — quae studia ante paucos annos salsissime derisit Johannes Scherr in annalibus olim a Paulo Lindavio editis, qui inscribuntur: „Die Gegenwart“, — ita etiam Horatius quamvis invitus materiam praebuit innumerabilibus de vita eius quaestionibus. Tales philologorum accuratissimae quaestiones plurimum quidem valent ad subtiliorem cognitionem ac rationem litterarum, et di prohibeant, quominus eas contemnamus; sed quo maioris sunt pretii, si quidem certis nituntur fundamentis et res ipsa digna est quae investigetur, eo magis cavendum est, ne perversa adhibita ratione scientiae pervestigatiōni noceant potius quam prosint; id quod facile fit, quotiens nimio ardore novas res detegendi ac proferendi abrepti viri docti suas fuites commenticiasque opiniones de rebus levissimis proferunt. Ita Horatius quoque a nonnullis pessime tractatus est. Quid est enim aliud ex eius carminibus quasi historiam quandam amorum eruere aut aliquid certi de illis Glyceris Lalagis Lydiis Chlois statuere vel conjectura assequi studere, nisi operam et doctrinam et sagacitatem in re absurda perdere? Qui Horatio ipsi omnia imputant, quae apud eum inveniuntur, nonne similes sunt Damasippi, quem ipse lepide irridet *sat.* 2, 3 extr.? Nam multa in his carminibus insunt, quae tantum abest ut in unum Horatium quadrent, ut mutatis temporibus locis nominibus a quolibet huius generis poeta profecta esse possint, sed pauca propria et singularia, cum nec res nec personae usquam adeo definiantur, ut veritatis vel certae rei speciem praebent. Quamquam enim esse potest, ut scaenis quas depingit poeta nonnumquam subsint causae sumptae vel ex iis quae ipse viderat et „quorum pars fuerat“, vel ex iis quae animum eius movebant, eam tamen rerum condicionem licet suspicari potius quam ratione probare, cum talia invenire consuetudo poetarum eaque licentia iis concessa sit. Rectissime igitur videtur Godofredus Bernhardt l. c. ita fere disputasse: „Die lyrische Scenerie des Horaz bewegt sich (mit Ausnahme der wenigen klaren Fälle, wo Zeit und Ort in bestimmten Worten als historisch sich kund thun) ihrem Wesen nach in einer Symbolik, in Figuren einer abstrakten Welt und gewissermassen in einer Synonymie von Personen und Fiktionen, wo nur bisweilen der Name zur poetischen Situation einige Beziehung hat.“ — Quod Horatius ipse dilucide indicat *carm.* 1, 6 extr.: „nos cantamus . . .“, vacui sive quid urimur, non praeter

solitum leves“; cuius loci sententia est carmina eius erotica maximam partem ab ingenii lusu profecta neque serio esse accipienda. Proinde Horatio obsequamur nos unumquemque suo modulo ac pede metiri iubenti. Nam quod in Tibullo vel Propertio credibile est, id ne temere aliis poetis tribuamus cavendum est. Quae Horatius in eroticis tamquam adumbrans proponit, maximam partem non sunt eiusmodi, ut ea in intimo pectore sensisse videatur. Quare quidam sagacissimi atque elegantissimi poetarum existimatores a recta ratione aberrasse iudicandi sunt, cum omnia apud Horatium seria esse persuasum habeant, quasi poeta meram gravitatem prae se ferat mollibusque redundet animi affectibus. Id Tibulli aut recentioris alicuius esset similis. An quisquam putabit Pyrrhae vel Lydiae cuiusdam mobilitate Horatium re vera vel momentum temporis adeo dolere potuisse, ut se in miserabiles questus effuderit? aut re vera propter Ligurini cuiusdam pueruli fugam (4,1 extr.) raram lacrimam per genas eius manasse eumque vel in somniis illum per campum Martium atque aquas volubiles secutum esse? Nisi forte Horatium eum, qui satiras et epistulas et partem carminum scripsit, alium esse existimamus atque eum, qui illa carmina composuit. Nam cuius animus continenter fere varie fluctuat inter diversas affectiones, cum cura atque ira, amore ac zelotypia distrahatur, qui re vera lentis ignibus maceratur, cuius jecur fervens difficili bile tumet, simulac Lydia Telephi cervices et bracchia laudavit — quis credat eum vivendi sentiendique rationem a philosophis petitam animique tranquillitatem ut summam sapientiam commendare posse, quod est argumentum et in carminibus et in sermonibus saepius repetitum, cf. imprimis nobilissimum illud „noli admirari“ et quae Horatius de se praedicat carm. 3, 29, 41 et epist. 1, 1, 23 multisque aliis locis. Quibus concessis minime sequitur Horatii animum ab amoribus alienum fuisse; id qui putaret, in contrarium errorem incurreret. Sed hanc rem investigare velle id ipsum absurdum est. Nam sicut verisimile est minimam tantum partem earum rerum quas illis carminibus describit ipsi re vera accidisse, ita de plerisque quae ei revera acciderunt sapienter eum tacuisse suspicandum est; neque enim credendum est ullum umquam sanae mentis poetam stolidae legentium curiositati satisfacere voluisse. Neque ideirco talia carmina minoris aestimanda esse unusquisque iudex concedet, qui non praecipitata opinione ducitur. An vero in sublimioribus poesis generibus licet res et personas et quasi externum rerum habitum invenire vehementissimosque animi affectus exprimere, qui a poetis non sentiantur, sed arte atque ingenio nascantur, — in levioris generis carminibus non licebit, praesertim cum hi poetae ipsi se tantum ludere ac nugari profiteantur? (cf. Hor. c. 1, 32, 2. Catull. 1, 4).

De muliereulis Horatianis et de poetae amoribus id summum concedi potest, unum constare Cinaram veros Horatii amores fuisse, id quod etiam Bernhardt contendit et in quo omnes consentire videntur. Nam Cinarae non solum bis in carminibus (4, 1, 14 et 4, 13, 21), sed etiam, quod maximi momenti est, in epistulis bis facit mentionem (1, 7, 28 et 1, 14, 33), et facit mentionem ita, ut de ea vix dubitari possit. Longius progredi non licet. Plura nec sciri possunt neque ad rectam carminum aestimandorum rationem opus est plura scire. Cetera omnia recte Lucianus Mueller ait adeo esse incerta, ut facillime quaelibet vel diversissimae fabulae ex Horatii carminibus componi possint, id quod saepissime factum est. Ne de Lyce quidem quidquam constat neque hic audiendus est Lucianus Mueller, qui eam re vera vixisse et secundos Horatii amores post Cinaram fuisse, postea vero, cum aetate esset provector, ab eo irrisam esse ponit. In quo vir doctissimus non plane sibi constare videtur. Nam qui de Lyce illa vindicias secundum vitam ac veritatem dederit, eum idem facere in ceteris quoque mulieribus vel potius nominibus consentaneum est, quae excepta Canidia neque in epistulis neque in satiris usquam

legimus. Similiter de rebus quibusdam quas attingit Horatius iudicandum est. Nam neque eum puerum in Volture dormientem columbae fronde texerunt neque apud Philippos parmulam abiecit (quod Archilochus potius fecit quam Horatius, quippe qui cum esset tribunus militum parmam omnino non gestaverit, quod monet Ad. Kiessling), neque in undis Siculis prope naufragio periit, neque unquam in silva Sabina lupum vidit fugientem, neque arboris super caput eius corruentis ictu prope exstinctus est; quae omnia partim plane inventa, partim certe in majus elata esse non opus esset dicere, nisi essent, qui his quoque historiae fidem tribuant vel ea ad historiae fidem exigenda esse existiment. Habent autem haec aliquid symbolici, quod qui non sentiunt, iis carminibus locisque quibus illa commemorantur (dico carm. 1,22. 2,7, 10. 2,13. 3,8. 4,4,9 sqq.) omnem leporem adimunt. Fac haec festive esse inventa aut more poetarum jocose aucta: lepidissima erunt; fac seria esse aut ita intellegi: absurda fient et intolerabilia.

II.

Veniamus nunc ad examinandam rationem a singulis interpretibus in singulis carminibus aestimandis adhibitam et ordiamur a Luciani Muellerei de nobilissimo libri tertii carmine nono sententia; qui quo melius et rectius de hac re in libello de vita Horatii disseruit, eo magis mirandum est eum duobus tribusve fere locis in antiquum errorem recidisse ipsumque secum dissensisse. Nam pag. 140 itemque in commentario ad h. l. cum aliis interpretibus plerisque, — inter quos Th. Obbarius, G. Dillenburger, H. Schuetz, atque etiam novissimus Horatii interpretes Adolfus Kiessling, quos omnes fortasse hic movit Bentleyi auctoritas —, partes eius carminis ita distribuit, ut ipsum Horatium cum Lydia colloquentem faciat, quasi poeta de ipsius persona cogitari voluerit. Si quis hoc carmen ita interpretatur, fieri non potest, quin etiam Lydiam et Chloen certas esse personas persuasum habeat, qua re tota Luciani Muellerei ratio subvertitur, qui pag. 35 solas muliercularum illarum Cinaram et Lyeen agnoscere videtur, de ceteris omnibus dubitat. Ac si putaremus Horatio hoc accidisse, ut a Lydia quadam antea a se dilecta rixa aliqua coorta se disjungeret et Chloen quandam adamaret, deinde cum Lydia in gratiam rediret, eodem jure in quolibet carmine amoebaeo, in quo personae inter se colloquentes pronominibus „er“ et „sie“ indicantur, qualia cantica exstant apud recentiores, pro „er“ ipsius poetae nomen supponere liceret. Hac ratione cum falsissimae de Horatio eiusque carminum fonte opiniones vulgatae essent, Franciscus Otto Gensichen, poeta scaenicus ceterum non malus, eo usque progressus est, ut fabulam, quae inscribitur Lydia, composuerit, cuius materiam ex hoc carmine sumpsit; qua fabula Horatius ipse ut amator Lydiae inducitur. Quam cum societas histrionum Meiningensium celeberrima anno superiore ageret, absurda illa cogitatio etiam ante oculos spectantium posita est; personae enim hae sunt: Horatius, Lydia, Calais, servus. Sed ut in ceteris carminibus eroticis, ita in hoc quoque cavendum est, ne ipsius poetae nomen choro illi fictarum personarum nominumque typicorum (si hoc vocabulo uti licet) inseratur, quo etiam venustas huius carminis valde minueretur. Et quod in hac re dijudicanda non minimum valet, verisimillimum est hoc carmen omnino non esse Horatii proprium, sed ab eo Graecum aliquod exemplar imitatione esse expressum, id quod, ut alia praetermittamus, maxime ex nominibus versus 14 (Thurini Calais filius Ornyti) atque ex eo sequitur, quod in vs. quarto Persarum rex commemoratur. Haec etiam Herm. Schuetz concedit, qui tamen nescio quo pacto illo errore plane occaecatur. Itaque ne Rosenbergi quidem sententiam probabimus, qui in editione sua interpretationi huius carminis haec fere addit, otiosum et supervacaneum

esse investigare, utrum Horatius ipse loquatur an alium cum Lydia colloquentem faciat. Potius diceret prorsus absurdum esse hoc quaerere.

Sed multo etiam perversius est, quod Lucianus Mueller ad libri tertii carmen decimum adnotat, canticum flebile Horatii esse ante januam clausam Lyces. At in nullo omnium carminum eroticorum absurdus est de ipsius poetae fortuna et condicione cogitare. Si quidquam est fictum in omnibus eius carminibus, certe hoc est. Quid enim Horatio, quid denique Romano, in quo fuit aliquis famae pudor, indignius, quid ab Horatii moribus et natura alienius cogitari potest? Notum est canticum paraclausithyron a Ludovico Rellstab, rerum scaenicarum et musicarum iudice illo austerissimo compositum et a Francesco Schubert scientissime musicis modis instructum, cuius initium est: „Leise flehen meine Lieder.“ Si quis igitur ad hoc canticum commentariolum conficiat et hoc inscribat: „canticum flebile Ludovici Rellstab ante portam clausam mulieris amatae“, nonne homo insulsissimus iudicetur? Et quod in Rellstabio ridiculum et indignissimum omnium iudicio esset, id in Horatio feremus? Et cui umquam legenti suavissimum illud Emanuëlis Geibelii: „O stille dies Verlangen!“ in mentem venit sibi proponere Geibelium noctu ante domum deliciarum suarum stantem et hoc canticum canentem, ut intromittatur? Si cui vero praeter opinionem in mentem veniret hoc ita interpretari, aut etiam hoc cantico uti ad quaestiones doctas de Geibelii amorum historia instituendas, is profecto idoneus putaretur cui ingens pars ellebori daretur. Et tamen hoc Geibelii carmen vehementiores ac veriores affectus motumque animi prodit veriusque quod intimum poetae pectus concitat exagitatque aperit, ita ut talis interpretatio hic multo magis haberet excusationem ac probabilitatem quam in Horatio. Itaque Lucianus Mueller ne postulet, ut nobis cogitatione fingamus Horatium adeo se abjecisse, ut — quod nemo umquam sanae mentis fecit — non modo unius mulierculae servitute turpissimam subiret atque ante eius januam clausam frigori ventisque expositus flebiliter quereretur et lamentaretur, sed etiam suae ipsius turpitudinis praeco existeret. Itaque bonus Lucianus Mueller certe cum illud scriberet dormitasse vel potius hariolatus esse videtur, quem semel fefellit multa in carminibus sicuti in scaena lepidissima esse posse, quorum si ad veritatem traducerentur maxime nos taederet. Accedit, quod totum hoc genus carminum, quod paraclausithyron vocatur, a Graecis sumptum est, ita ut nihil verisimilius sit quam hoc quoque canticum ex Graeco esse translatum vel certe imitatione expressum; recteque admonet Aem. Rosenberg talia cantica apud veteres aliquid fixi et stabilis habere et in formis et in sententiis, quod ubique occurrat; quocum apte comparat cantica illa aevi quae „Tagelieder“ vocabantur. Forsitan quispiam dixerit Lucianum Muellerum cum dicit: „canticum flebile Horatii“ hoc dicere: „c. fl. ab Horatio compositum“. Ineptissima excusatio, ad quam vix ipse descendet. Nam cum centum tria carmina, quae quattuor libris continentur, omnia ab Horatio composita sint — (nam quod K. Lehrs aliique singula carmina ab Horatio abjudicaverunt, nihil ad rem) — perversum esset in commentario id de hoc uno carmine nominatim affirmare, cum nemo dubitet Horatium esse eius auctorem. Certum igitur est Lucianum Muellerum cum dicit: „canticum flebile Horatii“ et q. s., nihil aliud dicere velle nisi Horatium ipsum ante januam clausam Lyces tales querelas fuisse vel certe lectoribus persuadere voluisse, ut hanc sibi imaginem animo ac mente depingerent. Sic igitur mutanda erit illa carminis inscriptio a Muellero inventa: „canticum flebile amatoris cuiusdam ante januam Lyces“; tales vero ineptias Obbariis Schuetziis aliisque diligentibus vitae Horatii scrutatoribus relinquat, qui omnia poetae injungere non intermittunt. Mirum autem est in eo numero hic etiam Adolpum Kiessling esse; is enim postquam exposuit (ad vs. 14) versibus extremis („non hoc semper erit liminis aut aquae

caelestis patiens latus⁴⁾ amatorem exclusum non minari futurum esse ut ipsius ardor refrigeretur ac defervescat (id enim Lycen non esse laboraturam), sed se hic in limine eius moriturum eamque culpam gravissimam Lycen in se admissuram esse, ita pergit: „Dass freilich der Schalk Horaz sich wohl noch eines anderen besinnen werde, lässt der absichtlich zweideutige Ausdruck nur erraten.“

Recentissimorum Horatii interpretum nemo Hermanno Schuetzio (cuius commentarii nostra lingua scripti editio prima anno 1874, altera anno 1880 prodiit) studiosior est investigandi omnes res maxime amatorias, in quo quasi Theodori Obbarii successorem se profitetur, cum uterque in ea re diligentia et sagacitate utatur, quae meliore re digna est. Nam cum privatae Horatii vitae omnia secreta sive levia sive gravia sunt revelare et in clarissima luce ponere posse sibi videantur, unamquamque poetae vocem quamvis simplicem cupide arripiunt et singula in singulis carminibus inter se connectere alterumque carmen ad alterum referre student, ut inde tamquam ex fonte arcano hauriant atque colligant materiam ad vitam eius describendam. Ita abrepti nimio ardore omnia intima perscrutandi ac penitus perspiciendi obliti esse videntur, quod est notissimum, apud Horatium nomina quaedam more poetarum ad arbitrium delecta saepius repeti, quae formam quandam figuramque certi alicuius generis hominum exprimunt; habent enim pro certo sub illis nominibus mulieribus virilibusque, quae ubique in eroticis invenimus, certas personas latere, quae re vera Horatii temporibus vixerint eique notae fuerint. Quo fundamento nixi de illis mulieribus et de aemulis Horatii deque illorum carminum ordine chronologico quaestiones subtilissimas instituunt quas plerasque futiles esse neque ullius pretii ex iis quae supra disseruimus satis apparere arbitror. Liceat Schuetzii rationem exemplis nonnullis illustrare. Dubitari non posse dicit, quin Lydia in quattuor carminibus nominata una eademque sit; esse hanc mulierem formosam carminibus 1,8 et 1,13 et 3,9 celebratam, quam tamen c. 1,25 maledictis obruat Horatius. Ad c. 1,8 de Calai ita fere disputat: cum nomen Calais illius, quem c. 3,9 ut aemulum suum commemorat poeta, numero et metro syllabarum cum Sybari congruat, cumque ea quae ibi nomini Calais adduntur versu 14 („Thurini filius Ornyti⁴⁾) aperte de Sybari moneant (quod oppidum Thurii eodem loco erat conditum, quo olim Sybaris steterat), — suspicandum esse sub his duobus nominibus eandem latere personam et ambo carmina eodem fere tempore esse composita. Ad 1,13 (cf. ad 3,19 et 4,11) adnotat tres Telephos unum esse. Ex iis, quae ad c. 1,16 adnotat, cognoscimus Schuetzium se exercuciari quaerendo, quaenam fuerit illa filia matre pulchra pulchrior, quam olim Horatius probroso carmine laesit, cuius rei illa palinodia veniam petit; atque ei Porphyrius sententiam non displicere, qui Tyndaridem esse putat, eandem quam Horatius c. 17 ad se invitat. Similiter contendit maxime esse probabile Lyden, quae c. 2,11 nominatur, eandem esse atque eam, quae c. 3,11 et 3,28 reperitur; et sic fere de Lalagis, Glyceris, Phyllidibus, ceteris. Sed non necesse est omnia; his enim ac talibus inanibus quaestionibus Schuetzii commentarius ceterum diligenter compositus redundat, ita ut difficile sit eum concoquere. Haec Schuetzii ratio eo magis miranda est, quod ipse diligenter omnia collegit, in quibus Horatius Graecum aliquod exemplar vel expressit vel expressisse videtur. His Schuetzii ceterorumque quaestionibus docemur circiter triginta vel quadraginta Horatii carmina plures aut pauciores versus habere e Graeco fonte petitos. Unde necessario concludendum est alia quoque apud nostrum ex hoc fonte manasse, in quibus, cum Graecorum lyrica innumerabilia perierint, id suspicari tantum, non demonstrari potest.

Nauckius perversitate illa quam depingere conatus sum plerumque vacat. Satis enim

habet nomina illa Lyces Telephi Lydiae Glycerae ceteraque etymologice explicare, de ipsis personis tacet. Duobus tribusve tantum locis, ni fallor, ei accidit ut in eundem, quem plerique, errorem delaberetur. Nam ad c. 4, 1, 3 alios secutus adnotat Cinaram eandem haberi atque eam mulierem, quam in aliis carminibus Glyceram appellat Horatius; cf. Schuetz. ad c. 1, 19. In qua opinione infirmissimis argumentis nititur; nam quod haec nomina numero et metro syllabarum inter se congruunt, non plus demonstrat quam quod versus „mater saeva Cupidinum“, quo poeta usus est in c. 1, 19, ubi Glycera celebratur, in illo carmine, ubi Cinarae mentio fit, repetitur. Alter locus est in adnot. ad c. 4, 13, quod carmen post 3, 10 compositum esse Naekius sane non affirmaret, nisi nobis persuadere vellet Lycen hic et illic appellatam veram personam esse et quidem eam, cuius ante januam Horatius aliquando illud canticum paraclausithyron cecinerit, id quod iis quae supra explicata sunt satis refellisse mihi videor.

Aemilium Rosenberg plerumque virum elegantissimo in poetis aestimandis iudicio cognoscimus et ex commentario, qui anno 1883 editus est, et ex libro, quem jam supra commemoravi, de Horatii arte lyrica; in quo libro passim ac maxime eo capite quod inscriptum est „die Nichtwirklichkeit der Verhältnisse“ (pag. 138 sq.) etiam is locus de quo nos hoc libello disserimus tractatur. Ibi sicut in singulorum carminum interpretationibus satis multas subtiles observationes invenimus. Velut ad carm. 1, 4, 19 („nec tenerum Lycidan mirabere“) adnotat non solum nomina, sed etiam ipsas res eroticas quas Horatius describit plerasque nihil esse nisi meras fictiones et quasi supellectilem poeticam. Probari possunt etiam quae dicit de carm. 1, 17 („velox amoenum saepe Lucretilem“ et q. s.): poetam certam scaenam finxisse aut invenisse, ut se in Bucolico carminum genere exerceret, quippe quod tum maxime esset popolare; et de carm. 1, 19 („mater saeva Cupidinum“ et q. s.): Glycerae nomen neque hic neque in carm. 1, 33 certae personae esse proprium, sed esse appellativum; et de carm. 1, 25 („parcius junctas quatiant fenestras“): esse hoc renuntiationem amoris; talia carmina certis quibusdam stabilibusque sentiis et formulis contineri, quibus in singulis tantum rebus poetae ex suo ingenio aliquid addere soliti sint; et multa eiusmodi. Sed quamquam minime, ut credulum illud quod supra perstrinximus interpretum genus, nec res quas proponit Horatius nec personas quas inducit nec scaenas quas describit nec imagines quas ad vitam exprimit omnes pro compertis exploratisque habeat, tamen quam plurimas ex iis servare studet. Nam eorum quae ad externum rerum apparatus pertinent et quasi instrumenta sunt scaenarum quas proponit Horatius haud pauca ei aliquid veri habere videntur; affectiones vero animi quae in eroticis enuntiantur tantum abest ut levia vel ficta ei videantur, ut in iis omnibus significationem quandam inesse existimet eorum quae Horatius vere in amore fuerit perpessus. Hanc Rosenbergii rationem nunc breviter illustrare conabimur. Nam ita fere diversis locis disputat. Horatium et tormenta et beatitudinem veri amoris in se expertum esse neque cogitatione tantum ea finxisse, sed ipsum intimo pectore sensisse quanta esset amoris vis et potentia. Id carminibus nonnullis demonstrari, qualia sint 1, 5, epodos 15, carmen 3, 9; quorum illa duo illius esse temporis, hoc (3, 9) beati illius temporis memoriam renovare videatur (pag. 135 extr. sq.). Illo veri amoris tempore fortasse etiam carmen 1, 13 („cum tu, Lydia, Telephi“ et q. s.) ortum esse, quod simile sit carmini quinto, cum ipsum quoque condicionem in amore miseram atque infelicem propter puellae perfidiam ita describat, ut Horatii verba ex animo eius profecta esse manifestum sit (pag. 137). Egregii carminis 1, 5 („quis multa gracilis te puer in rosa“ et q. s.), quo Pyrrham affatur, vigore probari re vera naufragium amoris fecisse Horatium, qui quamvis nobis persuadere studeat se sospitem ex eo naufragio evasisse tamen

se minime sospitem esse prodat, cum media parte carminis concitatio eius animi perspicitur (cf. vs. 5 sqq.) (pag. 62 extr., pag. 136 et in comm. ad h. l.). Inde Rosenberg ita fere concludit (pag. 137): Cum libri primi carmen quintum et carmen tertium decimum eandem fere animi affectionem doloremque ob puellae amatae perfidiam indicent similemque vitae conditionem depingant, conici posse utroque carmine unam personam denotari et Lydiam atque Pyrrham eandem esse. Ne Neaeram quidem, cuius perfidia epodo quinto decimo („nox erat et caelo“ et q. s.) accusatur, necessario ab his esse diversam; neque enim nominum diversitatem obstare, quominus his carminibus unam mulierem designari statuamus; atque eo minus, quod apud Horatium alia quoque Neaera commemoretur, quae ab illa utique diversa sit (pag. 137, lin. 5); — eam dicit, de qua carm. 3, 14, 21: „dic et argutae properet Neaerae“. Haec non possunt non mira videri. Quid enim hoc est nisi ita argumentari: Cum duae Neerae inter se diversae sint, inde sequi alteram earum eandem esse posse ac Pyrrham; vel ita: cum nonnumquam sub uno nomine diversae personae lateant, inde eo magis effici vice versa etiam sub diversis nominibus unam personam latere posse. Ita Rosenberg complura carmina inter se conferendo alterumque ad alterum referendo aliquid saltem de Horatii amorum historia statuere studet. Vide, quam haec incerta sint quantumque campi ipse quoque det suspicionibus et conjecturis et quantopere ipse teneatur studio illo absconditas res pervestigandi, dum suam rationem quamvis ingeniosam persequitur. De qua unum addemus, ex quo apparebit, quantum ponderis in Horatio amori tribuat. Plane enim nova eius est interpretatio carminis 3, 19 („Quantum distet ab Inacho“ et q. s.); quod cum ab omnibus in sympoticis numeretur, — cum totum in rebus convivalibus versari, Glycerae vero amor uno versu extremo („me lentus Glycerae torret amor meae“) obiter attingi visus sit, — Rosenberg illo ipso versu summam carminis contineri iudicat et hoc esse eius argumentum, poetam convivium luxuriosum ac profusum instrui cupere nullam aliam ob causam nisi ut cruciatus ac tormenta amoris momentum saltem temporis obliviscatur (cf. comment. pag. 79 et libr. de Hor. arte lyr. pag. 29). Quam rationem si sequamur, plurima in hoc carmine inter se omnino non cohaereant; et cum K. Lehrs duo carmina hic esse stulte contaminata censuerit ideoque carmen in duo dissecuerit, quorum alterius initium, alterius finem interiisse statuit, ne hoc quidem remedium criticis sufficiat. Ecce enim novae oriuntur difficultates; nam bibere ad obtundendam animi aegritudinem et bibere in honorem auguris Murenarum res sunt diversissimae, quas confundere sanae mentis poetam vix decebat. Accedit, quod haec omnia aperte magis jocosa quam seria sunt neque ullam hoc carmen ansam dare videtur, qua affectus quosdam penitus Horatii animo infixos tenere possimus.

Sed paulo etiam longius quam Rosenberg progreditur Waltherus Gebhardi, ceterum ipse quoque elegantissimus sane poetarum iudex. Nam in censura editionis Rosenbergianae (in annal. a Fleckeisenio et Masio edit. volum. 130, pag. 332 sqq.) compluribus locis indicat se illo errore quem nos hoc libello refellere studemus implicitum teneri, cum pro certo habere videatur Horatium carminibus amatoris suae vitae imaginem quam verissimam exprimere voluisse et pleraque ita interpretetur quasi re vera ad Horatii personam pertineant. Velut de carm. 1, 8 haec fere dicit, carmen esse in eo numero quae zelotypiam olent et in eandem sententiam intellegendum atque carm. 1, 5; Sybarim magis carpi quam Lydiam, neque id sua, sed ipsius poetae causa. Ita igitur hoc interpretatur Horatium stomachari, quod Sybaris aemulus apud Lydiam plus gratia valeat, ideoque eum tamquam mollem et effeminatum irridere. Quam interpretationem constare non posse manifestum est; nam si Horatius aemulo maledicere vellet, diceret eum omnino esse ignavum; dicit autem eum nunc tantum mollem et imbellem esse,

sed nec antea fuisse (cf. vs. 4 „*patiens pulveris atque solis*“; vs. 10 „*neque jam livida gestat armis brachia*“; vs. 11 „*saepe disco, saepe trans finem jaculo nobilis expedito*“) neque semper futurum esse (cf. stropham ultimam, ubi cum Achille comparatur muliebri habitu inter Lycomedis filias latente). In carmine 1, 19 Gebhardi a Rosenbergio dissentit (v. supra) et Obbarium Schuetzium aliosque secutus de certa quadam Glycera cogitari mavult (pag. 333). De carm. 1, 23 ita iudicat (pag. 334): Horatium virum tenero animo praeditum ac mutui amoris desiderio flagrantem eundemque gravem et ingeniosum, parum felicem fuisse in amore, cum puellae leves lascivaeque adulescentes stolidos quidem sed formosos, quales erant Telephi Nearchi (sic!) Sybares, ei anteferrent; cui explicationi addit: hinc illae lacrimae! In quo Gebhardi vehementer errare videtur. Nam — ut non dicam Horatium hominem insulsissimum fuisse futurum, si talia de se esset ipse confessus, — ipse Horatius haec dilucide refellit cum in epistula ad vilicium suum (1, 14, 33), ubi suos mores suamque naturam ac vitae consuetudinem depingit, dicit „*quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci*“, qui unus locus certe plus ad has res iudicandas quam carmina cuncta valet. Alio quoque loco Gebhardi Rosenbergium refellere posse sibi videtur; nam ad carmen 1, 25 adnotat (pag. 334) non esse hanc renuntiationem amoris; „*amantium irae amoris integratio est*“; hoc enim carmen ante c. 3, 9 („*donec gratus eram tibi*“) scriptum esse. Consentit igitur cum Schuetzio aliisque, qui dubitari non posse confirmat, quin haec Lydia eadem sit atque ea quae carm. 3, 9 celebratur. Num Gebhardi cum Schuetzio ne illas quidem Lydias, quae carm. 1, 8 et 1, 13 inducuntur, ab illa diversas esse existimet, non liquet.

Sed ut de novissimo quoque Horatii editore Adolfo Kiesslingio aliquid dicatur: ne is quidem ab animo suo impetrare potuit, ut personae poetae parceret. Quamvis enim saepius recte de his rebus iudicet — cf. quae adnotavit de argumentis carm. 1, 22; 1, 23; 3, 7; 3, 27; 4, 1; al. — interdum tamen libido eum invasit Horatium carminibus permiscendi eique res quasdam amatorias affingendi, quibus nihil certi subesse ratio evincit. Ut in carm. 2, 8 („*ulla si juris tibi peierati*“ et q. s.) argumento exponit Barinen operam dedisse, ut Horatium alliceret, eique sanctissimo iurejurando affirmasse se ei fidem servaturam. Quid quod etiam in carm. 2, 5 („*nondum subacta ferre jugum valet*“ et q. s.) Horatio amatoris partes assignat, quamquam is secunda persona, ut dicunt grammatici, significatur? Nam cum G. Dillenburger satis habuerit dicere incertum esse, utrum amicum aliquem an se ipsum consoletur, Kiesslingio verisimillimum videtur poetam ipsum hic secum colloqui. In quo, ut alia praetermittamus, nulla profecto causa aliquo modo probabilis reperiri potest, cur Horatius hoc uno carmine delitescere voluerit, cum interpretes ei confessiones adscribere soleant multo etiam magis dignas quae reticeantur. Accedit quod, ubicumque sive comica aliqua persona sive poeta pronominibus „*tu, tui, tibi, te, tuus*“ usus ipse se quasi alteram personam alloquitur, — quae dictio semper jocum aut ironiam habet, — nomen eius qui secum loquitur non potest deesse, id quod et per se evidens est et constanti scriptorum usu probatur. Conferantur loci Plant. Asin. 249, Merc. 112, Pseud. 394, Ter. Phorm. 465, Adolph. 763, al. apud comicos; itemque paucissimi illi loci apud lyricos, ubi talis dictio invenitur: Catull. 8, 1, ex quo numero fortasse etiam est Hor. c. 3, 12. Ita in hoc quoque carmine (2, 5) interpretando perversa illa adhibita ratione factum est, ut procul sit deerratum.

De ceteris loqui supervacaneum est, cum erroris illius divulgatissimi satis me exemplorum attulisse putem.

Satis ostendisse mihi videor illa paulo artificiosiore Horatii carminum etiam eroticorum aestimandorum ratione adhibenda fieri non posse quin multa in hunc poetam inferantur, a quibus plane alienus esse judicandus est. Numquam igitur obliviscendum unumquodque Horatii sicut ceterorum poetarum lyricorum carmen per se aliquid esse debere ideoque separatim contemplandum atque ex se maxime omissis reliquis esse interpretandum. Praeterea illud quoque semper respiciendum est, quod saepissime ab interpretibus negligitur, ipsum Horatium id unum de se gloriari, se „principem Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos“, quod nihil est aliud nisi hanc esse praecipuam suae laudis partem, quod ad Graeca exemplaria carmina Latina expresserit.

Proinde interpretes in aestimandis Horatii carminibus etiam eroticis (nam de his maxime hoc libello egimus) semper et ubique de ipsius poetae vita cogitare, nomina vel a Graecis sumpta vel certo quodam consilio inventa, quibus eum prorsus ad libidinem usum esse manifestum est, pro personis vere Horatianis, scaenas et res commenticias pro historia, jocos pro seriis, denique ficta pro veris ducere et rerum species cum rebus ipsis confundere tandem aliquando desinant.

Feodorus Rhode.

Satis ostendisse mihi aestimandorum ratione adhibentibus plane alienus esse iudicandus sicut ceterorum poetarum lyricorum templandum atque ex se maximum semper respiciendum est, quod de se gloriari, se „principem Aeni“ nisi hanc esse praecipuam suae expresserit.

Proinde interpretes in ad hoc libello egimus) semper et ut sumpta vel certo quodam consilio festum est, pro personis vere Historicis, denique ficta pro veris dum aliquando desinant.

carminum etiam eroticorum e poetam inferantur, a quibus unumquodque Horatii re ideoque separatim con- n. Praeterea illud quoque ipsum Horatium id unum „modos“, quod nihil est aliud exemplaria carmina Latina

oticis (nam de his maxime nomina vel a Graecis idinem usum esse mani- pro historia, jocos pro osis confundere tandem

rus Rhode.

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN Gray Scale

